



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Uniuersus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disputatio XIII. De modis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

Qua ratio-
ne Concil.
Trident. Ac-
cidencia Eu-
charistica
vocet species

realia, sed tantum intentionalia. Contra primò: alia Concilia indiscriminatim dicunt peracta consecratione manere accidentia panis, ergo volunt non solum manere accidentia intentionalia, sed etiam realia. Contra secundò: cum Theologi omnes eo tempore per species Eucharisticas intellexerint odorem, saporem, colorem, & alia accidentia realia, Concilium in sensu Theologorum illius temporis est loquutum, cum præstantissimi quique ex omni terrarum orbe Theologi eidem interfuerint. Contra tertio: Ecclesia siquidem accidentia Eucharistica vocat

signa, ait enim,

Sub diversis speciebus
Signis tantum, & non rebus
Latent res eximia,

ergo vult illic manere accidentia realia, quæ sensu percepta ducant in cognitionem alterius, species autem, ut dixi num. 7. non percipiuntur sensu, sicque non sunt signa, nec accidentia illa, quæ hinc juxta mentem Ecclesie remanent. Nulla ergo ratione hanc sententiam existimo probandam.

DISPUTATIO XIII.

De Modis.

Res rerum
series.

TRes sunt rerum species: quædam sunt, quædam insunt, quædam adhærent. In primâ serie sunt substantiæ completæ, ut Angeli & corpora simplicia, siqua fortè hujusmodi sint possibilia, anima item rationalis, & materia prima, hæc enim omnia ita per se sunt, ut causæ alterius creatæ adminiculo non egeant. Secunda classis est, formarum materialium, & accidentium hæc enim ita subiectis insunt, ut nullâ naturæ vi existere sine iis possint, quamvis possint divinitus, ut constat in speciebus Eucharisticis. In tertiâ demum serie sunt Modi, non tam res, quam rerum appendices, quæ rebus quarum sunt modi, ita adhærent, ut ab iis separati existere nec divinitus quæant. De his in præsentibus nobis sermo.

Modi non
tam sunt
res, quam
rerum ap-
pendices.

SECTIO PRIMÂ.

In quo situs sit conceptus essentialis Modi.

I. Non consi-
sit Modus
in insepara-
bilitate.

Notandum primò, non in eo præcisè consistere notionem Modi, ut volunt nonnulli, quod sit quid inseparabile in existentia à re cuius est Modus: primò, quia sic Pater æternus esset modus respectu Filij, & è contrâ & uterque respectu Spiritus Sancti, cum separari in existentia non possint. Secundò, quia creaturæ omnes essent modi respectu Dei, cum existere non possint, & Deo non coexistere.

II. Nec in eo
quod sit en-
titas nullius
effectus ope-
rativa.

Secundò Notandum, nec in eo consistere naturam modi, quod dicunt aliqui, nempe ut sit entitas nullius effectus operativa: Primò enim esto hoc conveniret modo, adhuc esset solum proprietates modi, non ejus essentia, cum videatur esse negatio, sicut non est essentia hominis non esse leonem, aut aliud quoddam animal, licet hoc essentiam illius necessariò sequatur. Secundò, materia in aliquorum opinione, nullius rei est operativa. Tertio, cur saltem non potest Deus creare rem absolutam ita imperfectam, ut nihil possit producere? Quarto, actus visionis, & omnium sensuum quid producant? Quintò, modi, in sententia relationes admittente, operativi videntur relationum per quas ad se invicem, & res alias referuntur.

III. Modus est
entitas in-
completa im-
perfecta, &
essentialiter
affixa ali-
ri.

Omissis variis, quæ confusissimè de naturâ modi hic à nonnullis congeruntur, Dico, essentialem modi conceptum in hoc consistere, quod sit entitas quædam incompleta intrinsecè per se & immediatè affixa essentialiter alteri, unde nec divinitus sine re cuius est modus, existere potest. Ita ferè P. Arriaga d. 1. Metaph. sect. 1. ubi definitiones modi ab aliis assignatas bene impugnât.

Hinc infero, actionem transeuntem non esse propriè modum respectu agentis, sed tantum respectu termini, si sit creatio, vel respectu termini simul & subiecti ex cuius potentia educitur, si sit generatio.

IV. Actio tran-
siens non est
propriè mo-
dus.

Adde, actionem nec esse modum respectu Dei, tum quia intrinsecè Deum non afficit, nec ei unitur (sicut Unio Hypostatica intrinsecè unitur Verbo, quâ de causâ est illius modus) tum quia Deus ad res creatas concurrat in genere causæ efficientis, qui concurrendi modus est & rebus, & actioni extrinsecus. Quòd autem Deus actioni intimè semper sit præsens, non est exigentia actionis, sed Dei, qui ob infinitam suam in existendo perfectionem, seu immensitatem, petit esse ubique. Si autem Deus, sicut res creatas elevare potest ad agendum in distans, posset etiam ipse in distans operari, actio quâ Deus in cælo tantum vel sole existens, hominem hinc, aut leonem produceret, eodem modo persistere. Quod secus contingeret in unione Hypostatica, si enim dum Christus in terris degeret, Verbum per impossibile ad cælum vel solem ita se recepisset, ut solis vel cæli unius se finibus contineret, relicta humanitate in terrâ, periisset necessariò unio Hypostatica, nec in illo casu, vel per Divinam potentiam, conservari potuisset.

V. Actio non
est modus
respectu Dei.

Ex quibus à fortiori constat quomodo res aliæ creatæ, ut terra, ignis, aqua, animalia, plantæ, &c. non sint modi respectu Dei, licet existere non possint quin Deo coexistant, eique intimè sint præsentis.

VI. Terra, aqua
&c. non sūt
modi respec-
tu Dei.

Licet verò essentialis conceptus modi in hoc, ut dixi, consistat, quod per se immediatè & intrinsecè alteri rei uniat, necessitas tamen modos in universo statuendi fuit indeterminatio & indifferentia in rebus creatis ad effectus varios, & munera, ad quæ cum seipsis determinatæ non sint, per modos determinantur, qui proinde naturâ suâ sunt actuales determinationes, nec ulteriori determinatione indigent, sic enim daretur processus in infinitum. Ex. g. forma ignis indifferens est ut hoc vel illo loco sit, huic vel illi parti materiæ uniat, ab hoc vel illo agente producatur, &c. aliquid aliud ergo ei addi debet per quod ad hoc in particulari agens, locum, & materiam determinetur, actio scilicet, ubicatio, & unio, per quam triplicem determinationem triplex illa indifferentia tollitur.

VII. Unde provie-
niat necessi-
tas statuen-
di modos.

Nec contra hoc urget quod objicit P. Arriaga d. 1. Met. s. 1. n. 3. ubicatorem scilicet & durationem esse modos, quæ tamen subiectum, cui adhærent, ad nihil determinant, spatium enim & tempus imaginariarum nihil sunt. Resp. tamen primò, ubicatorem & durationem fortè non esse modos, de quo postea. Secundò dico, spatium & tempus imaginaria, non esse

VIII. Ubicatio, &
Duratio, se
sunt modi,
determinant
ad aliquid.

esse purè nihil, sed negationes, de quo, suo loco; ad negationem autem dari potest respectus realis, ut constat tum in aliis, tum in potentia liberâ, quæ non respicit tantum operationem, sed negationem operationis, seu omissionem, utpote quæ ita operatur, ut possit non operari.

IX. *Essentia modi non consistit in hac determinatione.*

Adde tamen in hac determinatione non consistere essentialiam conceptum modi: unde non est cur hoc nomine substantiam quis à ratione modi excludat, quod subjectum cui affigitur, cum aliqua aliâ re non connectat: si enim sit immediata & essentialis unio sui cum subjecto, erit modus, licet illud ad nihil determinet.

X. *Actio & unio in eâ ratione, in qua sunt indifferentes, egent determinatione.*

Dices; non forma tantum aut materia, sed ipsa etiam actio & unio indifferentes sunt ut sint hoc vel illo loco, nam nec actio nec unio perit quoties compositum aliquod loco movetur, sicut nec actio conservativa materiæ & animæ rationalis, cum incedit homo, ergo modi ipsi egent ulteriore determinatione. Resp. distinguendo consequens, egent ulteriore determinatione in ea ratione in qua sunt determinationes, nego consequentiam; in aliâ, concedo. Quoad aliud enim modi sunt quid absolutum. Sic punctum, vel linea continuativa, quæ unit immediate partes formæ materialis, vel accidentis, quantitatis scilicet, vel albedinis, est quæ respectu illarum partium, modus, unitur tamen materiæ per unionem, vel inherentiâ distinctam, quia scilicet punctum illud vel linea non est modus respectu materiæ, sed solum respectu partium formæ. Sic eodem modo unio vel actio non sunt modi in ratione connectendi partes cum spatio, sed actio ordinatur ad illas cum agente connectendas, unio ad connectendas inter se.

Idem est de unionibus continuativis, ut quæ sunt in eis.

XI. *Modus, in eâ ratione in qua est modus, numquam est indeterminationis.*

Numquam ergo modus est indeterminatus in eâ ratione in qua est modus, quod autem in aliâ sit, nihil refert ob rationem dictam. Actio itaque non potest produci aliâ actione, nec unio aliâ unione uniti, & alia hujusmodi, sic enim daretur processus in infinitum. In omnibus ergo prædicatis quæ sunt per participationem talia, veniendum est ad aliquid quod sit tale per essentialiam: unde sicut cum creatura sit ens per participationem, arguimus debere esse principium aliquod seu primam causam, quæ sit ens per essentialiam, seu quod necessariò existat, & aliunde suum esse non accipiat, ne procedatur in infinitum; ita similiter in aliis etiam rebus tandem deveniendum est ad unum aliquid, quod sit per essentialiam tale, ex quo alia denominationem illam accipiant, alioqui, ut dictum est, procedetur in infinitum.

IV. Argumentum secundum, quod modus est indeterminationis, non valet, quia modus est determinatus per se.

SECTIO II.

Verum Modus sit possibilis.

I. *Opinio asserens modos esse impossibiles.*

Ingeniosus quidam Recentior ita modos omnes averfatur, ut non solum eos tanquam inutiles è scholis ablegandos censeat, sed rejiciendos etiam ut impossibiles, utpote Deo injuriosos, ejusque libertati ac pleno in res omnes dominio contrarios.

II. *Argumentum primum, quod modus deroget libertati Dei.*

Arguit primò: Modus talis est naturæ, ut sine subjecto suo seu termino existere nequeat, nec divinitus, ergo non potest Deus creare modum, quin velle debeat rem aliam, vel alias, si sit modus plurimum, unâ cum illo producere, hoc autem aperte cum plenâ Dei libertate & dominio pugnat, cum disponere de rebus creatis pro libito non possit, usamquamque scilicet independentem ab aliâ producendo & conservando, hic enim, ad nutum quasi modi res qualisque perfectissimas creare tenetur, ut hominem vel Angelum, si ubicationem ex, g. humanam creare velit,

vel Angelicam. Hoc autem Deum non parum dedecere videtur.

Sed contra, hoc enim argumentum procedit quasi si modus supponeretur jam positus, & postmodum in instante aliquo, tempore vel naturâ posteriore, ad illius exigentiam necessitetur Deus rem aliquam ab eo modificandam apponere, sicque veluti vim quandam Dei libertati inferre, cum non pro sua voluntate, sed pro modi exigentiâ cogatur hominem aut Angelum producere. Hæc autem suppositio est plane contra naturam modi, is etenim semper vel simul est, vel etiam posterior re modificatâ, hæc enim à modo est independens, & sine eo existere, etiam naturaliter potest, ut anima rationalis sine unione; modus autem sine re modificatâ existere nequit, nec divinitus.

III. *Contra: modus pro nullo priori est ad rem modificatam.*

Resp. itaque nullam hinc vim vel libertati Dei inferri, vel dominio: ad plenam enim & perfectam libertatem sufficit quod possit Deus quovis instante rem quamcumque producere vel destruere, ut hic contingit, licet enim posito quod velit modum producere, necessarium ei sit eodem instante rem illam producere, ad quam modus essentialiam dicit ordinem, ut actualis illius affectio, simpliciter tamen in plenâ Dei potestate est isthæc omnia hoc instante producere, vel non producere, sicque integra ei perstat libertas.

IV. *Ostenditur per modum non derogari libertati Dei.*

Verum est quidem, si modus independentem à Dei voluntate existeret, infringeret ejus libertas: tum quia rem extra se positam producere vel annihilare pro libito non posset, tum quia independentem à sua voluntate cogeretur ex intrinseco ad rem aliam (modo id exigente) producendam, sicque manifesta vis & libertati ejus inferretur, & dominio.

V. *Aliud est, si modus existens independentem à voluntate Dei.*

Arguit secundò: dari nequit creatura, duratio ex, g. extensive indivisibilis, seu quæ essentialiter petit durare per horam, vel diem. Cujus ratio est, quia ejusmodi duratio derogaret libertati & dominio Dei, quod scilicet teneretur eam conservare per horam, ergo etiam repugnat creatura quæ Deum necessitet ad producendam aliam, cum non minus infringatur Dei libertas, si teneatur novam creaturam ad alterius exigentiam producere, quam si eandem teneretur conservare.

VII. *Argumentum secundum, quod duratio impedit duratio potens durare per horam, ergo & modus.*

Resp. asserere multos ejusmodi durationem non implicare, inter quos est P. Arriaga d. 15. Phy. s. 2. nu. 64. & alij, qui aiunt, non derogare eam dominio Dei, quia absolute in ipsius potestate erat producere eam primò, vel non producere, ipso facto autem quod videns eam semel productam ante horam destrui non posse, vult nihilominus illam producere, volendo producere, vult virtualiter eam per horam conservare.

VII. *Multis discurrunt non implicare hujusmodi durationem.*

Ego hujusmodi durationem existimo aliâ de causâ esse impossibilem, ut postea ostendam. Dico tamen ab hujus impossibilitate nullam deductam consequentiam ad impossibilitatem omnis modi. Ratio disparitatis est manifesta, quam ante assignavi, in hoc enim sita est libertas Dei, & dominium in res creatas, quod quovis instante integrum ei sit rem quamvis absolute producere, vel non producere, conservare, vel instruere: hæc autem duratio, licet liberè in instante A sit producta, non potest in instante B & reliquis usque ad finem horæ destrui, sicque derogat libertati Dei.

VIII. *Disparitas inter hujusmodi durationem, & modum.*

Arguit tertio: si possit dari modus, seu entitas quæ essentialiter petat ad productionem sui rem aliam existere, ergo & dari creatura potest, quæ petat essentialiter ut pluat singulis diebus Dominicis, & alia ejusmodi.

IX. *Argumentum tertio ab incommode.*

Contra primò, qui statuant potentiam obedientialem

X.

*Aliud quoad
exigentiam
naturalem
est in condi-
tionibus
physicis, &
moralibus.*

talem latam, dicunt posse gratiam poni in lapide, albedinem in Angelo, &c. Nullus tamen, opinor, dicit esse possibilem gratiam, vel albedinem, quæ ponitur tantum possint in Angelo & lapide diebus Dominicis. Ratio est, quia esse diem Dominicum est quid morale: sicut nec dicit quisquam esse possibilem calorem qui informet eum tantum hominem, qui appellatur Petrus. Imò, qui admittunt conditiones physicas extrinsecas, (quas universim nemo negare potest) ut in communi sententiâ dicitur Angelum non posse connaturaliter recipere speciem intuitivam completam rei existentis donec res illa existat: nullus tamen propterea dicit esse possibilem ignem qui stupam sibi applicatam comburere tantum possit diebus Dominicis, aut aquilâ versus orientem volante. Est Ergo modus in rebus, & certi à naturâ præscripti fines, qui ad effectus quoscumque exoticos, sive in genere causæ formalis sive efficientis non sunt extendendi.

XI.

*Hoc incon-
veniens non
minus sequi-
tur in natu-
rali exigen-
tiâ, quam in
essentiali.*

Contrâ secundò, admittunt omnes dari res aliquas quæ saltem connaturaliter exigant productionem aliarum, calor ex. g. ut octo petit productionem formæ ignis, aqua petit frigus intensum, & sic de aliis. Inquiri ergo utrum hinc sequatur dari posse creaturam quæ connaturaliter petat ut pluat diebus tantum Dominicis, aut fele murem comedente? Negabunt omnes. Idem ergo dictum esto de exigentiâ essentiali.

XII.

*Quod dictû
est de exi-
gentiâ, idem
dicendum de
exclusionem à
rerum natu-
ra.*

Arguit quartò: si possint dari huiusmodi entitates, quæ essentialiter petant productionem alicujus alterius, ergo possibilis est creatura quæ essentialiter alias omnes è rerum naturâ excludat, quâ proinde productâ, nihil aliud produci poterit, vel divinitus. Sed contrâ, aliquæ res sunt, quæ connaturaliter postulant aliarum quarundam ex eodem subiecto exclusionem, ut calor frigoris, una forma substantialis, alterius; & ex eodem loco homo hominem propellit; malè tamen hinc quisquam intulerit, formam aliquam esse possibilem, quæ connaturaliter petat ut nulla alia res producatur, aut hominem quempiam, qui naturaliter exigit homines reliquos ex omni loco, ipsaque aded rerum naturâ expelli, ac destrui. Malè ergo hoc idem inferitur de exigentiâ essentiali.

XIII.

*Centum vi-
detur dari
inter res ali-
quas essen-
tialem anti-
pathiam.*

At verò inter res aliquas dari huiusmodi essentialem antipathiam & exigentiam; videtur negari non posse. Ut enim omittam de amore & odio, gratiâ & peccato, rectitudine & curvitate ab eodem subiecto in eodem loco sese mutuo excludentibus. De unione certè Hypostaticâ nullo modo dicendum videtur posse eam simul cum peccato consistere, summa enim sanctitas & pulchritudo summam fœditatem secum eidem animæ unitam non patitur.

XIV.

Dicit fortasse aliquis, uniri quidem eidem posse unionem Hypostaticam & peccatum, neutram tamen denominationem suam illi homini daturum, sicque in illo casu nec denominaretur peccator per peccatum, nec sanctus per unionem, sicut multi philosophantur de gratiâ habituali & peccato, amore & odio, & similibus.

XV.

*Uno Hypo-
statica &
peccatum
sive simul
inveniantur,
nec divini-
tur.*

Contrâ primò, quicquid sit de gratiâ & peccato, de unione tamen Hypostaticâ peculiaris est difficultas, verè enim homo ille esset Deus, mirum autem est quòd unio Hypostatica eum in hoc casu denominaret Deum, & non denominaret sanctum. Contrâ secundò, sicut hic auctores isti ut unio, gratia, amor, scientia, & aliæ huiusmodi entitates dent suas denominationes, tanquam conditionem essentialem requirunt absentiam peccati, erroris, odij, &c. idque sine præjudicio vel libertatis, vel dominij Dei, quidni & nos sine eorumdem præjudicio requirere easdem conditiones poterimus, ut res illæ existant?

Posita ergo modorum possibilitate, prius quàm ad modos in particulari descendamus, nonnulla generatim de eorum existendi, & terminos efficiendi modo inquiramus, ut illorum natura clariùs innotescat.

SECTIO III.

Utrum modus possit creari.

P Suarez d. 16. Met. s. 2. n. 16. negare videtur posse modum creari, saltem quoad modos accidentales. Vasq. idem absolute asserere videtur quoad omnes, 1. p. d. 174. c. 6. n. 16. & alij non pauci.

Dico tamen modos omnes, exceptâ actione, creari posse. Ita P. Hurtado d. 12. Phy. s. 5. Oviedo cap. 13. Phy. p. 5. & plurimi recentiores. Ante probationem conclusionis. Notandum, modum, unionem, e. g. duplicem habere rationem & conceptum respectu sui subiecti, seu rei modificatæ: primus est conceptus intimæ affectionis, & modificationis, quâ ita essentialiter affigitur modus subiecto, ut nec divinitus dimoveri ac divelli ab eo possit, ita ut existat: cum enim sit ex essentiâ suâ actualis affectio & modificatio sui subiecti, si separaretur ab eo, non illud modificaret actu, ac proinde mutaret essentialiter. Altera ratio est quâ pendet modus à subiecto tanquam à sustentante, seu influente in illum materialiter per actionem educivam: cum ergo hoc non habeat modus per se, sed per actionem distinctam, poterit Deus hanc causalitatem subiecti in modum supplere, & loco actionis generativæ, seu educivæ substituere creativam, ita ut subiectum, licet necessariò semper sit subiectum intimæ affectionis, seu adhesionis. non tamen sit subiectum sustentationis, seu subiectum influens in modum per ullam causalitatem & influxum.

Cum ergo unio, ubicatio & ejusmodi alij modi non sunt ex conceptu suo intrinseco actio, seu influxus, sed habeant effectum formalem longè ab actione diversum, sicque pendeant à subiecto per actionem à se distinctam, licet communiter generentur seu producantur per actionem educivam, dum scilicet producantur ab agentibus naturalibus, quidni tamen possit Deus solus modum illum producere sine concursu subiecti, & sic eum creare?

Dices; idèd non posse, quia modus omnis est essentialis dependentia à subiecto. Distinguo, est essentialis dependentia, id est, necessariò afficit subiectum, concedo, est dependentia à subiecto tanquam ab influente, nego: hæc autem sola dependentia est quæ impedit creationem. Et cum dicitur id generari quod producit dependenter à subiecto, sensus est, si producat dependenter à subiecto influente, cum sola passio propriè dicta sit quæ tollit creationem, passio autem propriè dicta est influxus subiecti in actu secundo. Licet ergo modus sit ex essentiâ suâ dependentia à subiecto influente, sed dependet ab eo per actionem & influxum à se distinctum, qui proinde suppleri à Deo potest, sicut influxus ad res alias absolutas.

Quid autem modus omnis præter actionem pendeat ab agente, & consequenter à passio, seu subiecto sustentationis per actionem & influxum à se distinctum, probatur: eadem enim unio successivè conservari potest à diversis agentibus, ut unio & forma ignis jam ab hoc, jam ab illo igne, jam à Deo; à quocunque autem conservetur, semper habet eundem effectum formalem uniendi & immediatè efficiendi suum subiectum, ergo distinguitur ab actione & influxu

*I. Sent. negat
posse modos
creari.*

*Modi omnes,
per actio-
nem, possunt
creari.*

*De ipse ter
pendet mo-
dus à subie-
cto.*

*III. Oportet
unionem
posse creari.*

*IV. Quod modus
essentialiter
dependeat à
subiecto, non
obstat crea-
tioni.*

*V. Modi omnes,
præter actio-
nem, pendunt
à subiecto
per actionem
distinctam.*

influxu agentis, ergo & ab influxu passi & subjecti, seu à passione, cum actio & passio identificentur, ergo si actio distinguitur realiter ab unione, passio realiter ab eadem distinguitur necesse est.

VI. An modi essentialiter pendant à subjecto à priori.

Dices; modus essentialiter pendet à subjecto à priori, ergo non potest creari. Resp. si per pendere à subjecto à priori intelligatur pendere ab illo essentialiter per verum & physicum influxum, nego antecedens; licet enim aliqui modi hac ratione pendant à subjecto, non tamen est ipsis hoc essentialiter, nec de conceptu modi; Si autem per pendere à priori intelligatur solum pendere à subjecto tanquam ab aliquo, quod quocunque modo requiritur ut modus sit, concedo antecedens: hoc autem non obstat creationi, sed solum influxus materialis seu passio quæ est dependentia à subjecto sustentante, & influente, hac autem dependentia non est modò essentialis, ut ostensum est. Sic Verbum Divinum est aliquo modo prius unione Hypostatica, & tamen non dependet verè unio Hypostatica ab illo propriè à priori, seu tanquam ab influente. Est ergo prioritas subjecti respectu modi solum quasi subsistendi consequentià; benè enim sequitur, est hic modus, ergo est hoc subjectum, non tamen è contrà, est hoc subjectum, ergo hic modus, hæc tamen non est vera dependentia per verum & physicum influxum, ut constat in exemplo proximè allato de Verbo Domini respectu unionis Hypostaticæ.

VII.

Duplex modi dependentia declaratur exemplo visionis.

Unde Modus, quæ talis, non pendet à subjecto, seu termino propriè ut à priori, seu ab influente, sed solum ut à conditione aliquâ antecedente, vel comitante; sicut ignis pendet ab approximatione, ut comburat, vel aptius ad rem nostram, sicut visio duplici modo pendet ab objecto, & ut à terminante per suam entitatem, & movente, seu influente in actum per speciem, & Deus potest supplere hoc secundum, primum autem secundum multos supplere non potest: sic in Modo supplere potest Deus influxum subjecti, non tamen dependentiam per intimam affectionem, cum hæc sit ipsa essentia Modi.

VIII.

Totum compositum potest creari.

Hinc infertur totum compositum creari posse; de formâ enim & materiâ nulla est difficultas sed etiam creari potest unio, ut ostensum est, ergo. Sicut autem licet utraque pars creetur, si tamen unio generetur, dicitur ratione illius compositum generari, ita si unio crearetur, licet utraque pars generaretur, videtur compositum dici posse creari, nempe formaliter, seu in ratione compositi.

SECTIO IV.

Inquiruntur quedam circa naturam Modorum.

I. An modus respicere possit subjectum vagè.

Quæres primò, possitne modus respicere subjectum indeterminatè, & vagè? Resp. si subjecta aliqua ita essent essentialiter determinata ad aliquem unum Modum in particulari, ut non forent indifferentia ad alios, tunc posset Modus indeterminatè respicere varia subjecta, licet in eocasu vice versâ subjecta illa essent modi, & huiusmodi modi res absolutæ. Si autem dicatur & subjecta esse indeterminata, & etiam modos, tunc non possent modi respicere subjecta vagè, sic enim alio egerent determinativo, cum utrimque foret indeterminatio & indifferentia, sicque essent res absolutæ. Conf. non minùs essentialem ordinem physicum dicit modus ad subjectum, quàm visio ad objectum, sed visio non potest esse indeterminata ad objectum, ut in Logica probavi d. 44. f. 6. & d. 45. f. 1. cum sit imago & similitudo huius objecti, & non alterius, ergo nec

modus indeterminatus esse poterit ad subjectum. Ratio autem à priori est, quia modus est ex essentia sua determinatio actualis rei indifferentis, ergo non debet ipse esse indifferentis, sic enim egeret alio determinante, & non esset actualis determinatio per suam essentiam, sed solum aptitudinalis, adeoque non modus.

II. Dari potest unio, quæ plures terminos inter se connectat.

Quæres secundò, utrum dari possit unio, quæ connectat plures terminos inter se? Negat P. Suarez To. 1. in 3. p. d. 13. l. 1. Deinde quod, & alij. Dico tamen, id non videri impossibile: primò enim naturaliter contingit, idem enim punctum in centro cuiusque rei habentis trinam dimensionem, unit lineas ab omni parte in centrum confluentes: & idem est de quacunque unione continuativâ. Unde puto, dari posse unionem informationis, quæ sit connexio duarum vel plurium formarum eidem materiæ, & è contrà; & unionem etiam Hypostaticam, quæ tres Personas Divinas eidem humanitati, & unam Personam tribus humanitatibus uniat. Ratio est, quia cum duæ vel plures formæ uniri supernaturaliter possint eidem materiæ, & plures naturæ eidem Personalitati Divinæ, quid vetat esse possibilem unam unionem per quam iis connectantur?

III. Modus, qui est purè modus, non potest uniri per unionem à se similitam.

Quæres tertio, an possit modus per unionem distinctam uniri alteri subjecto? suppono sermonem esse de eo qui est purè modus, qualis est unio inter animam & corpus; aliqua enim sunt quæ quamvis sint modi respectu aliquorum, ut uniones continuativæ partium albedinis, & formæ substantialis materialis, ut dixi supra f. 1. n. 10. respectu tamen aliorum sunt formæ absolutæ, unde tota quantitas & albedo unitur materiæ per unionem distinctam. Loquendo itaque de purè modo, existimo hoc fieri non posse. De quo plura infra d. 41. sec. 8. n. 5. 6. & septimo.

IV. Modus existere non potest sine termino suo adæquato.

Quæres quarto, utrum existere possit modus sine termino suo vel adæquato vel inadæquato? Quoad terminum adæquatum, certum omnino est, modum, unionem ex. g. uno tantum loco existentem non posse esse sine termino adæquato, cum, ut videmus f. 1. sit modo essentialiter actu termino suo uniri. Idem existimo licet modus statuatur in diversis locis disjunctis, ut unio inter animam & corpus Petri hic statuatur, & Londini, existimo utrobique necessario statuendum esse & corpus & animam Petri: cum enim unio sit essentialiter actualis nexus utriusque, ubicunque est unio, debet actu ea unire, alioqui esset alicubi sine suâ essentia.

V. Difficultas est de termino suo adæquato.

Quoad terminum inadæquatum, non est usque adè certum, imò omnes absolute dicunt, non esse necessarium ut modus ubicunque est, habeat terminum suum adæquatum, sed sufficere si habeat inadæquatum. Ad hanc ergo difficultatem enodandam statuat sectionem sequentem.

SECTIO V.

Darinetur possit Actio, unio, vel ubicatio indivisibilis.

Suppono cum Philosophis omnibus qui modos admittunt, modum esse relationem transcendentalem, sicque per se adæquatè esse determinationem essentialem ad subjectum suum seu terminum, ita ut totus hic respectus modi ad terminum existentem non minùs in solâ modi entitate situs sit quàm relatio transcendentalis in Angelo, homine, aut igne respectu actuum & effectuum possibilium.

I. Modus est Relatio transcendentalis ad terminum existentem.

Notandum, tripliciter posse unionem vel actionem indivisibilem concipi respicientem terminum divisibilem, hominem ex. g. Primò, ita ut totus homo

II.

mo seu omnes ejus partes ponantur in unico puncto, vel indivisibili spatij, in quo etiam puncto sit actio & unio. Secundò, ita ut actio & unio indivisibilis & terminus non sint in unico solo indivisibili spatij, sed utrumque extensum per spatium aliquod divisibile, ita tamen, ut totus terminus, & omnes illius partes sint in singulis partibus & punctis spatij, sicut & ipsa actio & unio, eà scilicet ratione qua Corpus Christi indivisibiliter totum existit sub singulis partibus & punctis specierum Sacramentalium. Tertio demum ita, ut licet actio vel unio, utpote indivisibiles, sint totæ in toto, & totæ in qualibet parte spatij, terminus tamen sit extensus per spatium secundum diversas sui partes, ita ut una pars termini sit in hac parte spatij, altera in aliâ, &c. & de omnibus his tribus modis procedere potest questio.

III. Prima conclusio: primo modo nullum videtur dubium, quin possit unio vel actio indivisibilis afficere terminum indivisibilem. Ratio videtur clara, cum enim partes omnes sint in eodem indivisibili, seu puncto spatij inter se penetratæ, nihil obstat potest quo minus, saltem divinitus, eadem indivisibilis actio vel unio eas afficiat.

IV. Secunda conclusio: nil etiam impedit quo minus detur actio & unio indivisibilis, quæ respiciat rem divisibilem secundo modo supra in notatione posito, seu totam in toto, & totum in qualibet parte existentem. Probat & explicatur conclusio ex præcedente: sicut enim non implicat ut detur aliqua unio indivisibilis, quæ respiciat plures partes ejusdem rei in indivisibili seu puncto constitutæ, ita quidni multiplicari poterit tam res quoad omnes partes, quam unio, sicque unio in singulis partibus & punctis spatij habeat terminum suum adæquatam? Quæ omniâ clariora fient ex tertiâ conclusione.

V. Difficultas ergo præcipue procedit de tertio modo, quo scilicet modus aliquis indivisibilis determinaretur ad rem vel spatium divisibile, ita scilicet, ut actio, unio, vel ubicatio sint totæ in singulis partibus & punctis spatij, terminus verò non totus in singulis partibus, sed secundum diversas sui partes per spatium extensus, ita ut una ejus pars sit in unâ parte spatij, alia in aliâ, sicut de unione spirituali, quam ponunt multi in homine, & de ubicatione Angelicâ indivisibili respectu spatij divisibilis plerique philosophantur. Hujusmodi ergo actionem, unionem, & ubicationem non repugnare tenent auctores quos vidi omnes, cum P. Hurt. d. 2. de Anim. f. 3. imò ipse de facto dari asserit unionem spirituales in homine, & indivisibilem, quæque tota singulas ejus corporis partes afficiat, sicut anima indivisibilis eas omnes ubique tota informat. Idem cum ipso docent ij omnes qui ubicationem Angeli, quâ occupat spatium divisibile, esse aiunt indivisibilem, & totam singulis spatij partibus eum affigere. Et à fortiori dicent illi hujusmodi ubicationem aut unionem non repugnare, qui cum P. Arriaga hic d. 15. s. 2. n. 64. asserunt possibilem esse durationem indivisibilem petentem essentialiter durare per horam, de quo postea.

VI. Tertia conclusio: non solum unio quæ est inter animam & corpus in homine, & ubicatio omnis Angelica figens Angelum spatio divisibili, est divisibilis, & constans ex partibus integrantibus, sed probabilius existimo implicare unionem, actionem, vel ubicationem, quæ in se indivisibiles correspondent spatio, materiæ, aut termino divisibili, conaturaliter, seu divisibiliter existentem.

VII. Probat primò, ubicatio, actio, & unio si sint indivisibiles, ubicunque sunt, debent habere totam suam essentiam, sed si respiciant locum, terminum, & materiam divisibiles divisibiliter existentes, non possunt ubicunque sunt, habere totam suam essen-

tiam, ergo non potest dari hujusmodi unio, actio, & ubicatio, Major est certa, si enim sint indivisibiles entitativè, ubicunque sunt, totæ sunt, ergo ubique est tota earum essentia, cum partes non habeat. Minor itaque, in qua est difficultas, probatur: essentia ubicationis indivisibilis diffusæ ex. g. per totum hoc gymnasium (idem est de unione & actione respectu suorum terminorum & subjectorum) est acti figere Angelum, toti huic gymnasio, seu omnibus ejus partibus, sed hæc ubicatio, ubicunque est, non figit Angelum toti gymnasio, seu omnibus ejus partibus, ergo. Probat minor, in angulo orientali non figit Angelum angulo occidentali, nec è contrâ, in medio non figit eum extremitatibus, in extremitatibus non affigit medio &c. ergo ubicunque est, non habet eandem essentiam, sed diversâ prædicata, in una parte spatij, & in aliâ.

Dices, essentia quidem ejus est figere Angelum toti spatio, sed non est necessarium ut ubique exerceat totam suam essentiam, sicque est ubique tota essentia, non tamen ubique tota exerceat. Contrâ, essentia hujus ubicationis est actuale exercitium, & in actu secundo seu actualis fixio Angeli in toto illo spatio, ergo idem est essentiam ejus esse in toto spatio, & in toto esse exercitam, nam esse est exerce- re, ergo ubique totum exerceat quod ullibi exerce- re potest.

Secundò probatur conclusio, & declaratur magis præcedens ratio; hæc ubicatio in spatio A, habet reale prædicatum, quod non habet in spatio B, ergo realiter distinguitur ubicatio in hac parte spatij ab ubicatione in illâ, ergo habet diversas partes. Prima consequentia videtur certa, cum idè duo equi, leones, vel homines distinguantur realiter, quia diversa habent prædicata realiter distincta. Antecedens itaque probatur, actu figere Angelum spatio B, est reale prædicatum realiter identificatum cum hac ubicatione, sed hoc non habet in spatio A, ergo. Probat minor, hæc ubicatio in spatio A, non figit Angelum spatio B, sed solâ spatio A, cum in spatio A Angelus & ubicatio non sint intimè præsens alteri spatio quàm spatio A, nulli autem spatio figit Angelum in spatio A, nisi cui illic reddat eum intimè præsentem, ergo si in spatio A, non reddat Angelum intimè præsentem spatio B, non figit ipsum ibi spatio B; sed figere Angelum spatio B, est reale prædicatum, & hoc non habet in spatio A, ergo in spatio B, habet reale prædicatum quod non habet in spatio A, ergo ubicatio in spatio B, est realiter distincta ab ubicatione in spatio A, vel saltem diversa pars ejusdem ubicationis, sicque habet partes, & consequenter non est realiter indivisibilis.

Dices, essentia hujus ubicationis est ut habeat hoc totum, nempe ut sit affectio totius seu omnium partium illius spatij, ita ut hic sit affectio hujus partis spatij, ubi illius. Sed contrâ, hoc enim est perinde ac dicere essentiam ipsius esse, ut non habeat ubique totam suam essentiam, sed hic unam partem, ibi aliam, cum essentia ipsius juxta hanc responsonem sit, ut hic habeat prædicatum aliquod reale quod ibi non habet, ergo ubicatio hæc non est indivisibilis sed divisibilis secundum diversas partes integrantes heterogeneas.

Probatur tertio: Si possit modus esse alicubi sine termino inadæquato, modò illum alibi habeat, ut unio illa hominis tota esse in pede, absque eo quod illic afficiat manum, sequitur posse modum esse alicubi sine omni termino, modò illum alibi habeat, sicque posset actio qua Angelus conservatur in caelo, protendi ad terram, Angelo in caelo tantum existente. Ratio est quia non est magis actio illa essentialis affectio totalis termini, quàm partialis, ergo

VIII. Quorum essentia est exercitium, ubique illam exerceat debent.

IX. Sequitur talem ubicationem in uno loco habere reale prædicatum, quod non habet in alio.

Implicat ubicatio Angelica indivisibilis.

X. Hac ubicatio habet, et non habet partes.

XI. Si modus possit esse sine termino inadæquato, poterit existere esse sine adæquato.

Res divisibilis in puncto uniri potest unione indivisibili.

Res tota in toto, & tota in qualibet parte, uniri potest unione indivisibili.

V.

Communis sententia est hujusmodi ubicationem non repugnare.

Implicat unio indivisibilis respectu termini divisibilis existenti.

VII. Ratio à priori.

non magis potest ullibi sine hoc existere ; quam sine illo.

liquis : sicut nec color quispiam dari potest , qui hic sit albedo, ibi nigredo, &c.

XII. Possunt ubi- catio, actio & unio sin- gulu instan- tius muta- re terminos.

Quartò : idèd non potest hæc ubicatio, actio, vel unio in secundo instante afficere novum aliquod spatium, terminum, vel subiectum, quod non afficiebat in primo, ut si in primo instante figebat Angelum huic gymnasio, non potest eadem ubicatio se- cundo instante figere Angelum illum palmo spatij proximo, esto retineat totum spatium in quo antè fuit : cujus ratio est, quia sic in primo instante non habuisset totam suam essentiam, cum in secundo instante haberet novum prædicatum reale, quod non habebat in primo ; sicque non esset eadem ubicatio, sed diversa, saltem partialiter ; non minùs autem implicat, si est ubicatio indivisibilis, ut hic habeat prædicatum aliquod reale, quod non habet ibi, quàm ut nunc habeat prædicatum reale quod non habuit antèa : sicut enim quod semel est, semper est, ita quod hic est, ibi est, ergo.

XIII.

Possit unio inter mate- riam & for- mam ignis esse alibi sine altero extremo.

Quintò ; apud omnes in confesso est non posse unionem inter materiam & formam ignis, vel aquæ constitui in alio loco sine toto suo termino, seu abs- que eo quòd uniat duo illa extrema, quia scilicet est essentia illius connectere illa inter se, & ubicunque est, debet habere totam suam essentiam, sed non minùs est de essentia uniois vel ubicationis indivisibilis actu afficere omnes partes termini, & spa- tij, ergo ubicunque est, afficere debet omnes, cum ubicunque est, non minùs habere debeat totam suam essentiam, quàm unio inter materiam & formam equi, ignis, vel aquæ.

XIV.

Idem est de unione triu formarum cum eadem materia.

Sextò : ponamus unionem cujus essentia esset con-nectere tres formas eidem materiæ, non potest, nec per Divinam potentiam hæc unio ita statui in tribus locis, ut in uno connectat materiæ illi formam A sola ; in alio solam formam B, & in tertio formam C, licet enim tunc videatur habere totam suam es- sentiam, cum ex essentia suâ solùm petat unire has tres formas, quas in hoc casu uniret, non tamen existi- mo à quoquam hoc concedendum. Cujus ratio unica est, quia cum essentia ipsius sit actualis unio trium formarum, ubicunque est, actu unire debet tres formas, ergo idem est in nostro casu.

XV.

Implicat ut actus repre- sentativus trium coloru non sit illo- rum ubique representativus.

Septimò tandem : actus intellectus indivisibilis, quo homo quispiam repræsentat tres colores, albe- dinem videlicet, nigredinem, & viriditatem, secun- dum multos diffunditur per totum corpus, sicut anima quam informat, secundum omnes est in loco divisibili in capite e. g. ponamus itaque diffundi per totum corpus, hic actus quia est indivisibilis : ubi- cunque est, est repræsentatio horum trium colorum, in capite ex. g. est repræsentatio omnium trium, in pede eorundem, in manu &c. ita ut Angelus intuitivè videns hunc actum, sive illum in pede intueatur, sive in capite, sive in aliâ quacunque corporis parte, videatur esse repræsentationem indivisibi- lem trium, nec potest ullibi esse, & non esse repræ- sentatio trium, sic enim non haberet ubique ean- dem essentiam. Idem ergo est in præsentia de unione in homine respectu capitis, manûs, pedis, &c. & ubi- cationis respectu diversarum partium spatij.

XVI.

Angelus intel- lectivus ut quatuor, ut icunque est, est intel- lectivus ut quatuor.

Conf. Angelus aliquis cujus essentia est esse intel- lectivum ut quatuor, etiamsi extendat se per totum hoc gymnasium, imò totam civitatem, & ad ultimum suæ sphaeræ, adhuc in singulis partibus & punctis illius spatij, necessariò esse debet intellecti- vus ut quatuor in actu primo, quia hæc est ejus es- sentia, nec magis potest esse intellectivus ut quatuor in hac parte spatij, ut tria in illâ, ut unum in aliâ, & sic de cæteris, quàm potest dari res aliqua quæ hic sit aqua, ibi aer, alibi terra, lignum, lapis, &c. ita ut ratio lapidis non distinguatur realiter à ligno, & re-

SECTIO VI.

Argumenta contententia possibilem esse ubi- cationem aut unionem indivisibilem respectu termini divisibilis.

O Bjci potest primò ; anima rationalis & Ange- lus sunt indivisibiles, & tamen correspondet illa diversis partibus corporis, hic spatij, ergo nil ob- stat quominus detur unio vel ubicatio indivisibilis, quæ simili modo correspondeat spatio vel materiæ divisibili. Respondetur negando consequentiam, in animâ enim non sequitur hoc inconveniens, nem- pe quòd haberet prædicatum reale in uno loco, vel parte corporis, quod non habeat in aliâ, cum non sit prædicatum essentiale animæ actu uniri corpori, sicut est unionis, unde & existere potest separata ab omni corpore, quod tamen non posset, si uniri cor- pori esset prædicatum realiter cum animâ identifica- tum, seu illius essentia.

I. Ostenditur aperta dis- paritas inter Angelum, & modis.

Objicies secundò ; Angelus diffusus per totum hoc gymnasium est totus in toto & totus in qualibet parte hujus spatij, & hoc habet formaliter ab ubica- tione, ergo ubicatio ipsa debet esse tota in toto & tota in qualibet parte spatij, nihil enim dare potest in genere causæ formalis, nisi quod in se ha- bet formaliter, alioqui dabitur effectus formalis si- ne causâ formali. Hoc argumento usi sunt quidam recentiores ad probandum omne ubi Angelicum, & animæ rationalis de facto esse indivisibile, ac totum in toto, & totum in qualibet parte spatij. Sed con- trà, nam adversarij ipsi non negant posse per Divi- nam potentiam poni rem aliquam totam in toto, & totam in qualibet parte spatij, per ubicationem divi- sibilem, & quæ habeat partes, imò plurimi ex ipsis de facto ajunt ejusmodi esse unionem Corporis Christi in Eucharistiâ, ergo in hoc solvere ipsi de- bent suum argumentum, cum non minùs ibi sequatur esse effectum formale sine causâ formali, quàm hic.

II. Obicitur Angi- lus per unio- nem esse totum in toto, & totum in qualibet parte, ergo & ejus ubi- catio.

Et saltem per Divinam potentiam, in hoc gym- nasio ita statui potest Angelus, ut per unam ubica- tionem totalem sit in unâ medietate scholæ, & per aliam in aliâ : vel quando Angelus est in unâ parte suæ sphaeræ, non negabunt adversarij posse eum se extendere ad aliam ; & acquirere novam ubica- tionem totalem, seu non unitam præcedenti, idque non amittendo priorem : sicut etiam quidni, saltem di- vinitus, posset anima, dum simul movetur manus & pes, acquirere duas ubicationes distinctas, illis motibus correspondentes ? in quibus omnibus casibus eadem est difficultas atque in nostrâ senten- tiâ.

III. Contrâ : sen- tentur om- nes Angeli per duas ubicationes totales posse esse in hoc gymnasium.

Resp. itaque distinguendo consequens, ergo ubi- catio ipsa debet esse tota in toto, & tota in quali- bet parte, ut quod, nego consequentiam, ut quo, id est, debet esse ratio illa per quam Angelus est totus in toto, & totus in qualibet parte, concedo. Ad hoc au- tem perinde est sive sint plures ubicationes dispa- ræ, seu inter se non unitæ, sive una composita ex mul- tis partialibus : tamen ipso facto quòd intelligatur pars hujus ubicationis figere Angelum totum in hoc puncto, vel parte spatij, & alia pars eum totum figere in proximâ, & sic de cæteris, sufficienter, imò necessariò intelligitur constituere ipsum totum in toto ; & totum in qualibet parte spatij. Quid hinc clarè ostenditur, nam unio materialis & corporea in homine unit animam totam toti corpori, & to- tam

IV. Resp. unam ubicationem non debere esse totam in toto, & totum in qualibet parte, sed ut quod.

tam cuilibet illius parti, & tamen unio hæc non est tota in toto corpore, & tota in qualibet illius parte, sed diffusa & extensa secundum diversas sui partes per totum corpus, ergo idem præstare poterit ubicatio divisibilis respectu spatij.

V. Objici potest tertio; nil sequi implicatorium ex eo quod detur hujusmodi ubicatio indivisibilis, nam in puncto A est formalis fixio Angeli in tali puncto, virtualis respectu aliorum punctorum & partium spatij, & in puncto B formalis fixio respectu illius, & virtualis & aptitudinalis respectu aliorum, & sic de cæteris. Contrà primò, nihil omnino est aptitudinale, seu in actu primo in hac ubicazione vel unione, sed est formalissimè actualitas, exercitium, & actus secundus, non minùs quàm actio respectu termini: imò si esset aliquid hic aptitudinale, & in actu primo, deberet uniri per aliam unionem, aut ubicacionem, ut fit in animâ & Angelo, quod tamen hic non contingit. Contrà secundo, cur pari modo dici non posset, ubicacionem hanc in hoc instante esse formalem determinationem Angeli respectu hujus spatij, & virtualiter seu aptitudinaliter respectu spatij proximi pro instante sequente, & sic mutare posset ubicatio locum, saltem inadæquatum, pro diversis instantibus, vel partibus temporis, quod tamen nullus concedit. Contrà tertio, in hoc ipso assertur implicatio, nam in puncto A est formalis affixio Angeli ad punctum A, & non ad punctum B, ergo in puncto A habet reale prædicatum, quod non habet in puncto B, & è contrà, nam per suam en-

titatem solam habet actu figere Angelum in puncto B, ergo est actualis fixio illius, sed in puncto A non est actualis fixio Angeli puncto B, sic enim in puncto A deberet actu figere Angelum puncto B, ergo.

Objici potest quarto; Deus est sua præsentia per immensitatem secum identificatam, & tamen est totus in toto, & totus in qualibet parte spatij, ergo non implicat aliqua ubicatio indivisibilis essentialiter respiciens spatium divisibile. Negatur tamen consequentia, Deus enim per infinitas quasi partes virtuales immensitatis suæ ubique præsens, sibi suum est spatium. Deinde, esto hoc concederetur Deo per virtualem quandam distinctionem, nempe ut per solam eandem ipsissimam entitatem indivisibilem possit correspondere diversis partibus spatij, sicut multa alia ipsi hujusmodi per virtualem distinctionem conceduntur, ut actus liberi, productio Relationum in Filio & Spiritu Sancto, non producta essentiali, non tamen hæc propterea concedenda sunt creaturis, ut ipsi adversarij fatentur, cum, ut supponitur, tota ratio diversitatis ex parte ubicacionis consistat in solâ entitate ubicacionis, cum sit relatio transcendentalis ad spatium.

Quinto objicitur; ubicacionem Angeli si habeat diversas partes correspondentes diversis partibus spatij, fore quantam, commensurativam, corpoream, &c. Solutio hujus pendet à quæstione illâ, in quo sita sit ratio corporis & spiritus, de quo Deo dante, agetur in libris de Animâ, disp. septima.

VI.

Aliud quod hoc est de immensitate Dei, aliud de ubicacione creaturæ.

VII.

DISPUTATIO XIV.

De Unione.

Variè variè de unione philosophantur.

Quidam modum agnoscunt non modum.

Magna hic opinandi varietas; unionem negantibus aliis, aliis asserentibus. Nec unionis assertores satis hac in parte inter se conveniunt: nonnulli enim in negatione eam sitam volunt, alij rem esse aiunt usquequaque positivam. Quidam in composito aliquid agnoscunt ab extremis distinctum, à necessariâ tamen & fatali illâ cum iis connexionem immune. Quare, Nodum dicunt esse, non modum. Alij demum nexum hunc, Modum statuunt, eamque expeditissimam difficultates, quæ in compositi constitutione occurrunt plurimæ, enodandi viam autumant. Nullâ ergo in re, in his octo libris, est vel major sententiarum diversitas, vel acrior disceptatio: ut mirum sit unionem tantum peperisse discordiæ.

Ockam, dic, quid coëgit te ad hoc dicendum? certè, evidentiissima ratio, quæ est ista? Impossibile est transire de contradictorio in contradictorium, sine deperditione vel acquisitione alicujus positivi &c.

Prima conclusio: unio non est sola extrema nudè & secundum se sumpta. Hæc conclusio non eget probatione, jam enim existit materia & anima S. Petri ex.g. & tamen non uniantur, nec constituunt compositum, ergo uniri extrema aliquid est ab iis distinctum.

Secunda conclusio: unio inter materiam & formam non est sola intima earum præsentia. Probatur primò, potest Deus, etiam dum intimè sibi sunt præsentem materiam & formam impedire quo minùs hæc informet materiam seu illi uniat, ergo uniri materiam & formam non est formaliter esse illas sibi intimè præsentem.

Secundò probatur, ponamus, in materiam informatam animâ Petri ingredi localiter, & reddi intrinsecè præsentem animam Pauli separatam à materiâ Pauli: si informare materiam nihil aliud sit, quàm esse illi intimè præsentem, anima Pauli informabit corpus Petri, sicque erit materia illa naturaliter duabus simul formis unita. Casus verò iste naturaliter potest, & facillè, contingere, si anima aliqua ex iis quæ subinde in terrâ separatæ versantur, materiæ alterius hominis adhuc viventis intimè se reddere vellet præsentem.

Dices; id non sequi, jam enim materia est informatam priori animâ, ergo licet secunda sit intimè illi præsens, non tamen eam informabit, cum sit quasi præoccupata materia à priori. Contrà, si unio nihil aliud sit quàm intima præsentia, ergo tam informatam secundam quàm primam, quod probatur manifestè,

II.

Unio non potest consistere in solis extremis.

III.

Unio non consistit in solâ intima præsentia.

IV.

Si unio sit intima præsentia, duæ anime possunt simul informare eandem materiam.

V.

Secunda anima tamen est intimè præsens materiæ, ergo informatam materiam, tam informatam quàm primam.

SECTIO PRIMA.

Refertur sententia negans unionem distinctam & primus modus eam defendendi refellitur.

I. Prima sententia unionem negat distingui ab extremis. Ita Cajet. 3. p. q. 2. a. 7. Medina, Valentia To. 4. d. 1. q. 2. p. 5. Fonseca 7. Met. cap. ultimo. Conimb. h. c. q. 9. q. 11. a. 4. quam etiam sententiam amplectuntur entitatum non prodigi Nominales, illi ducis sui baculo innixi, Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Quamvis Ockamus ipse in 3. q. 1. fateatur negari nullo modo posse unionem Hypostaticam esse entitatem aliquam à Verbo & Humanitate realiter distinctam. Quem proinde Tartaretus Scotti auditor, ei veluti insultans, sic affatur; Domine R. P. Th. Comptoni Philosophia.